

suo cum exercitu Regio ad preces Sicilie contra hostes Magnam aliam quantitatem pecunie necessariam sibi fore, cuiusquondam certamque pecunie summam dum aliunde sic in proximo iuxta sui assertionem habere non posset, tum pro celeriori executione codicillorum ipsorum, quam in preiudicium anime dicti quondam patris sui differri ulterius eius affectio filialis non patitur, tum pro expensis suis et aliis necessariis pro suo transitu supradicto, necessariam pecunie quantitatem super iuribus et redditibus Terrarum suarum et aliorum bonorum suorum tam pheidalium quam Burgensaticorum que habet in Regno Sicilie obligandorum propterea mutuo sub conveniente lucro seu avantagio inde dando habere providit, de obligatione huiusmodi facienda Regium assensum asseruit per providas licteras impetrasse propter quod confisus de fide prudencia et legalitate Iudicis Riccardi pironti de Cidoniola familiaris sui consenciens prius in nos predictos Iudicem et notarium cum scirent non esse nostre iurisdictionis *etc.* ipsum iudicem Riccardum volentem et presentem et onus procuracionis huiusmodi sponte suscipientem et in nostri presencia Constituit ordinavit et fecit suum verum et legitimum procuratorem et nuncium specialem ad inveniendum et Recipiendum mutuo nomine et pro parte ipsius domini Nicolai super iuribus redditibus et proventibus Terrarum suarum et bonorum omnium predictorum modo prescriptorum, usque ad summam unciarum auri Mille, dans concedens sibi plenam integram et legitimam potestatem predictam pecunie summam nomine et pro parte sua mutuo prescripto modo recipiendam, Conveniens lucrum proinde seu avantagium promictendum. Iura redditus et proventus Terrarum et bonorum suorum omnium vel aliqua ex eis que ad id sufficiant hiis qui pecuniam ipsam sibi nomine q. s. mutuaverint obliganda tamdiu tenenda et percipienda per eos quamdiu tam de mutuo ipso quam de lucro seu avantagio ipsis propterea promictenda eis integre satisfiat, vel ea propterea mutantibus ipsis pro certo et distincto tempore insolutum tradenda et assignanda seu locanda et concedenda pro ipsa pecunie quantitate. Cautelas inde necessarias nomine et pro parte sua omnibus et singulis quibus expediens fuerit propterea faciendas, prefatos Codicillos dicti qd. patris sui nomine et pro parte sua iuxta eorum continenciam exequendam legatariis omnibus et singulis in eis contentis de hiis que ipsis per eundem qd. patrem suum legata et dimissa sunt tam de predicta pecunia quam de iuribus et redditibus terrarum et bonorum *etc.* et que ipse etiam facere posset si presens esset ibidem. promictens idem dominus Nicolaus michi predicto notario tamquam persone puplice stipulanti nomine et pro parte eorum quorum interest interierit vel interesse poterit sub hypotheca omnium bonorum suorum se ratum gratum habiturum firmum quicquid dictus Iudex Riccardus nomine et pro parte sua. super promissis et quolibet promissorum duxerit faciendum. Unde ad futuram memoriam *etc.* presens scriptum subscriptione dicti domini Nicolai *etc.* Quod scripsi ego prefatus Nicolaus Ferrillus puplicus dicte Civitatis Regia auctoritate notarius qui premissis Rogatus interfui et meo solito signo signavi. † Ego Bartholomeus Manganus. Miles qui supra Iudex subscripsi. † Ego Nicolaus Pipinus de Minerbino Miles qui supra sigillavi et subscripsi. † Ego Franciscus de Paleno (1) Miles testis sum. † Ego frederico de luco Miles testis sum. † Ego magister Pandulfus de prothojudice Scientie Medicine Professor me subscripsi. † Ego Philippus de

(1) Mandamento in provincia di Chieti.